

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> MEDICA

(10)

INAUGURALIS,

DE

P E S T E.

AUCTORE GEORGIO BARCLAY.

PESTIS vel Pestilentia vocabulo Hebraico *Pasat*, spoliare, vimque eandem ac *λοιμός* Graecorum habens, fere omnibus terris sed multo maximè solis ardore exustis, a mundi primordiis semper notissima fuit ; verùm anne illa eadem cum Peste hodierna fuerit, hactenùs in occulto latet ; neque certa extant signa quae hac de re unquam dilucidè docerent ; ut luem autem ad iram Deorum Immortalium referendam, nullaque medicinâ sanabilem, antiquis eam apparuisse constat,

A

[820]



quaestio potius fortassè curiosa quàm gravissima habenda est; neque ante Procopii vel Evagrii scripta (A. D. 543) veram Pestis recentis historiam rectè quaerere oportet.

### DEFINITIO.

Variae Pestis species auctoribus variis indicantur. Medici Massilienses an. 1720, quinque varietates annumerârunt. Chenôt de septem, Russelus de sex in longum loquitur; dissertatione\* autem de Peste Melitensi recente, felicius ad tres limitantur; quin tertia ibi descripta, levioribus tantum indiciis ab aliis dignosci possit, Pestis qualis eo saltem tempore fuit, species mihi duas solummodo agnoscere apparuit, quas Culleno ac Linnaeo delineatas invenias. Hic enim primam, ille secundam speciem tantum, in definitione sua comprehendit; nam hisce verbis Cullenus: “Typhus maxime contagiosa cum summa

---

\* Ed. Med. and Surg. Journal, April 1814.

debilitate, incerto morbi die eruptio bubonum vel anthracum.” At alio modo Linnaeus, “ Anthraces aut bubones gangrenosi, febris synocha acutissima, funestissima, vertigo, anxietas, lipyria.” Revera tamen parùm variat speciatim, nisi febris genere comitantis, seu synocha seu typhus sit; porro ab aliis sub formâ intermittente vel remittente in Egypto occurrere dicitur, at ubi tantulum adhuc cognitum est parùm animadvertere prosit.

### HISTORIA MORBI.

Pestis de improvisò adoritur, atque omnium maximè morborum ab regula declinat, secundùm aegri aetatem temperamentumque, non secus ac coeli temperiem varians, aliquando cursum adeo celeriter percurrens, ut aeger, impetu quasi repentino perterritus, brevi sub ictu morbi obruitur. Sic quidam Peste affectus, sextâ deinde horâ sub oculis

Larrei periit, exemplumque magis adhuc insolitum, Corcyrae nuperrime incidisse dicitur,\* quo horâ post contactum tertia, aeger animam efflavit. In iis ac similibus tām citò raptis, vix ad signa propria evolvenda tempus dari videtur, rarò saltèm in pessimis apparent donec cadavere livido morbus denique indicatur. Ferè nunquam tamen adeò velociter appropinquat, sed miris saepe modis quasi levis ac inconstans, ita ut scrutinium subtilissimum aequè ac providentiam cautissimam aliquandò omnino fallat; hinc ante omnes morbus Proteiformis jure nominari meretur; dixit Russelus se vix unquam in duabus exemplis eadem signa vidiisse, neque reverà ullum constat indicium quod in Pestis naturâ omnino positum est; etenim Diemerbroecko aliisque fide dignissimis exempla sine febre proferuntur, et tumorum absentia omnium nequaquam infrequens est. His praemissis de signis usitatoribus agendum est, atque ea, ut in Peste Melitensi nota-

---

\* Investig. Senatus de Contag. Pest.

verim, maximè indicabo, varietates tantùm supradictas exequens, quod eo modo res melius ac facilius exponeretur.

Saepe horrore praeeunte species prima hisce indiciis dignoscitur; vires maximè subitòque collabuntur; vultus fit pallidus vel sublividus, saepe ferus; oculi miris in modis turbidi; aeger titubat et gressus infirmus est; vertigo ac stupor superveniunt; ferè semper urget nausea, saepe bilis vomitus; lingua citò fit sordibus obducta, aliquando apice rubro, sed parùm plerumque mutata; dolet caput; ardent cum summâ anxietate praecordia; pulsus frequens est et facile praeter solitum incitatur, id quod saepissimè experiendo didici; cutis arida et ardens vel sudore splendida; sitis non omnino perpetua sed saepe graviter urget; comitantur delirium, syncope, coma, subsultus tendinum, &c. glandularum tumores, maximè inguinibus, et carbunculi passim per cutem oriuntur; sanguis nonnunquam ex naribus fluit; sub finem vibices, maculae petechiaeque sese ostendit.

dunt, convulsionibusque aliquando aeger tandem abripitur.

Vero incipit altera species dolore capitis vehementissimo vixque tolerando, cum vertigine ac stupore gravissimo; vultus oculique sanguine suffusi sunt, quasi aeger Bacchi stimulis incitatus esset; modoque loqui vel moveri piget; pulsus validissimi, frequentissimi; sitis insedabilis; alvus nisi adsit diarrhoea saepe pertinaciter adstricta; incertoque, ut supra, tempore, erumpunt tumores et exanthemata.

Signa autem maximi momenti sunt visus turbidus Diemerbroeckei, cum stupore ac vertagine ebrietatis instar, quae nemo qui morbum hunc vidit nesciat, nemo vidit quin notare oporteat, ut ferè in Pestis natura positâ, quorum ratio tamen satis in tenebris latet.

*Bubones* indicia morbi propria considerari debent, dolore pungente et partis rubore, praecessi, plerumque inguine, aliquandò alis, minime parotide vel maxillis oriuntur. Ex tabulis Russeli patet quod saepius inguina

quàm axillae afficiuntur proportione 3 ad 2. Ex novem legionis Rollensis Peste Melitae affectis, quorum cura partim mihi commissa est, in uno tantùm, nisi memoria fallat, axillae, in aliis autem inguina afficiebantur. Narrat Jacobus M<sup>c</sup>Grigor eques, se exemplum vidiisse quo tumores, inguine, parotide, alis, glandula maxillari, et sublinguali eodem tempore apparuerunt. \*

Docet Russelus bubones certos Pestis testes habendos esse; atque in Aleppi historiâ narratur, eos in omnibus occurrere, nisi quos morbus subitò corriperet; secundùm Meadeum, nunquam nisi formis Pestis pessimis desunt et hinc ut dicitur, medici Massilienses, anno 1720 judices fatales! se fefellerunt.

*Carbunculi* nequaquam Pesti proprii habentur; Russelus tamen, qui varietates quinque descripsit, dimidium aegrorum iis affectionum esse asseruit. A carbunculo communis parùm discrepant, nisi majore ad gangraenam proclivitate. Petechiae nullo modo Pestis

---

\* Medical Sketches.

propriae in variis morbis gravibus occurrunt.  
In P. Melitensi saepe sese indicârunt, et  
praecipuè in pectus, pulicu[m] vestigiarum in-  
star, prope finem plerumque morbi emicue-  
runt. *Maculae* potius ut mortis praenuntia  
quam Pestis signa habenda sunt.

### SECTIO CADAVERIS.

De nervorum vitiis parùm scalpello ana-  
tomico in lucem prolatum est, atque ad  
morbum de quo sermo est explicandum  
vel sanandum minimè adhuc proficit. In  
exemplo Larrei haec praecipuè notabilia :  
omentum coloris lutei, maculisque lividis  
signatum; ventriculus passim gangraenosus;  
jecur mole auctum, sed alioquin sanum;  
vesicula felli atra et foetida distenta; pulmo-  
nes exalbidi liniisque nigris striati; cordis  
auriculae ventriculique sanguine soluto sub-  
nigroque repleti; bronchia[m] materiâ rubida  
spumosâque refertae. In alio hepar multò

mole ampliatum erat, et vesicula felli admodum distenta, alia ferè eadem indicârunt; aliquando praeterea signa cerebri malè se habentis patefacta sunt, ejus vasa scilicet sanguine referta, et seri in ventriculis effusio. In Egypto, secundum Doctorem Price, glandulae praecipuè afficiebantur; exemplumque Jacobo M<sup>c</sup>Grigor equite memoriae proditum est, quo glandulae inguinis pondus naturale sexduplo superabant. Porrò aliis renes, intestina, pulmonesque, carbunculis obsessi comperti sunt.

### DIAGNOSIS.

Quare Cullenus illust. apertis quasi oculis inter Exanthemata Pestem posuit, res est de qua ratio non facile reddi posset. Inter febres certè annumeranda est; at ubi loci valdè dubito, neque nos praescribere decet; non nullis autem nunc typho ferè confundi videatur, sed morbo expertis, facilè, ut puto, dig-

noscatur, nisi ipso fortasse Pestis initio, et tunc Proteo ipso mutabilior fugaciorque, in omnes se vertet formas, quod plus vice simplice notavi, pariterque ad synocham vel typhum similitudine accedat; idem docet Swietenius: "Saepe," inquit, "sub larva aliorum morborum latuit," &c. "at brevi post prodibant bubones, certissimi Pestis testes, et solitis stipati symptomatis,"\* turbidus scilicet visus, ac aeger os quasi ebrii ipsum gerens, subitum morbi impetum, velocissimumque ejus cursum, &c. quod si Pestis tantum typhus vehementior sit, ut nonnullis putasse placet, quare non alter in alterum degenerat?

#### CAUSAE.

Tot tantisque libris nuperrimè de Pestis contagio scriptis, nunc ea tantummodo max-

\* Comment. vol. v.

imè ex utraque parte prolata, quanta brevitate potero, indicabo. Et imprimis nonnullis negatur, “Pestis contagium antiquis cognitum esse,”\* quod eruditione sine profunda facilè refelli potest. Nam ut medicos,† et philosophos sileamus, opinio quasi in ore est omnium ferè scriptorum classicorum quibus familiarissimè utimur;‡ de eo autem imprimis cecinerunt Ovidius, Virgilius, Lucretiusque:

“Musaeo contingens cuncta lepore.”

Hoc vero non obstante Pestis contagium ex artificio papali vix annis abhinc trecentis ortum esse asseritur,|| et medicus et poeta Fracastorius contagii inventor ac pater seriò quodam salutatur! §

Ab affirmatione porrò quâ multum pen-

\* Researches in the Levant.

† Galen de Feb. Aristot. sect. i.

‡ Thucyd. lib. ii. Diod. Sic. &c.

|| Researches in the Levant.

§ Moseley's Tracts.

dere putatur, “ nullum scilicet morbum in decursu vitae recurrentem contagiosum esse,” parùm probari possit; nam si magni recentioribus nominis habeatur fides, variola ipsa contagio carere ratione pari probata esset; quin parùm valet cavillatio, quoniam rarissimè in eodem homine revertitur Pestis; hoc enim docent Russelus, Diemerbroeckeus, et Samoilowitz qui nullam in Moscoviâ reverticulum vidi, et medicus Melitae prim. ita loquitur: “ A mia cognizione nessuna persona ebbe la vera Peste piu d’una volta.”\* Porrò eadem in Pestis historia Atticensis a Thucydido narrantur. Sit ita autem, variolam nunquam reverti, saepissime Pestem, sequitur idcirco alteram contagiosam esse alteram non? Reverà autem de rei praesentiâ, tam tenuis quam contagium parum verbâ mera valent, neque negare vellem, me inter Pestem Melitae grassantem nonnullos vidiisse, qui quanquam contagio objecti morbum tamen miris

---

\* Researches, tome ii.

evaserunt modis; atque ego ipse contactum post crebrum ac liberum, contagium omnino effugi; tantae autem pro ejus praesentiâ magnitudinis testimonium fuit, ut id existere nullo modo dubitare potuisse. Hoc impri- mis confirmatur, bonis separationis eventis; morbo serie potius continuatâ quam multos simul homines ad oriente, testaturque auctor \* clarus omniq[ue] fide dignus, se dum in Egypto fuerit, exempla Pestis fere omnia ad unum indagare potuisse; clade sine discrimine maxima; praeterea ex investigatione senatus recente videtur duos tantum medicorum compertos esse qui Pestis contagium omnino denegarunt.

An alias praeter contagium causas agnosceat Pestis, non adhuc inter medicos constat, neque defuerunt qui summâ vi contendenter, “ morbos contagione ortos nunquam alio modo gigni;” † quod planè pro-

---

\* M'Grigor's Sketches.

† Bancroft on Yellow Fever, et Sequel.

batione caret; quis enim primas morborum fontes recludere potis est? Jamdudum scripsit Diemberbroeckeus: “Contagium est morbi primò soboles, postea causa, nam qui primus Peste correptus fuit, illam a contagio non contraxit.” Neque aliter censuit Swietenius: “Non possumus,” inquit, “dubitare quin primus mortalium, qui variolis laboraverit, hunc morbum receperit sine contagio; si ergo semel potuerit morbus hic nasci ab aliis quibusdam causis, quas me ignorare lubens fateor, potuit et reproduci a similibus, licet contagium desit.”\* At nunquamne de novo nascitur typhi contagium, nunquamne phagedaena gangraenosa? Quod meo animo contagii theoriam *increati* totam subvertere sat est. Praeterea ex iis qui de Peste Aegyptiaca scripserint analogiâ saltem appetet:

“Satis haec tellus nobis coelumque mali fert,  
Unde queat vis immensi procrescere morbi.”

---

\* Comment. tom. v.

Diodoro S., Thucydido, Lucretioque monemur, Pestes temporibus antiquissimis, fere semper ad Aegyptum ut fontem relatos esse, neque aliter habetur adhuc ubi maxime hodie grassatur. Howardo narrârunt medici orae Mediterranii orientalis, Pestes luctuosissimas Aegypti finibus exortas esse, et lues Melitensis, anni 1813, indè recta viâ cum mercibus importasse fere in universùm credebatur. Larreo endemica habetur, Syriae orâ, non secus ac aliis Aegypti regionibus, Alexandriâ, Rosetta, &c. atque addit, “En effet elle me paroit dépendre de causes propres à chacun de ces pays ;” manifestæ nobis dicit ex oppidis malè structis, cum vicis angustis, flexuosis, sordidissimis ; malo incolarum victu, eorum inertiam ; cadaverum animalium inhumatorum putredine, coemeteriis apertis et similibus oriri. \* Ferè eadem Jacobo M'GREGOR equite, Meadeo, Desgenettes, † Salze, †

---

\* Larrey, Memoire sur la Peste.

† Histoire de l'armée de l'Orient.

&c. notantur; cumque ad hancce aëris inquisitionem accedit Nili decrementum, anni tempore favente, advenit austor (Khamsyn) et flabro torrido evolutionem ejus lethalem efficit. Ab hujus autem indagatione Sydenhami absterret sententiâ, “At vero,” inquit, “quae qualisque sit illa aëris dispositio a qua morbus hic apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quae vecors hac arrogans philosophantium turba nugatur, planè ignoramus.”\*

Inter causas praedisponentes multum ex coeli temperie, anni tempore, statuque corporis pendere videtur. Russelo aliisque monemur Pestem rarò latè per hyemem grasseari, magisque vere, maxime mense Junio valere, in Julio labescere, ferè Augusto evanescere; verùm in Aegypto plerumque sub Junii finem quiescit; in Russia per hyemem grassabatur. Summa caloris atque frigoris Pestem similiter extinguere dicitur, non

---

\* Opera Sydenh. sect. ii. cap. ii.

semper autem constat, in Peste enim Melitensi coeli mutationes minime valuerunt, ibi Aprile anni 1813 emicare coepit, in Junio ac Julio exarsit, et Martem circiter anni sequentis omnino denique resedit.

Russelus cum aliis Idyosyncrasiam existere arbitratur, quae contagio corpus humanum obnoxium vel aversum reddat; Larreus phlegmaticos quam alios minos a Peste alienos censuit. Inter mentis pathemata, metus proclivitatem ad morbum summam inducere dicitur.

Quo modo Pestis contagio afficiatur corpus, sive pulmonibus scilicet, sive absorbentibus, sive ventriculo, omnino in tenebris obducitur, neque multum ad rem pertinet; ratione autem triplici agere videtur, contactu, fomitibus, atque aere. De primo ita loquitur Bancroftius, “Plague is communicated by immediate contact only;” \* neque aliter putant magni plerique nominis, cum quibus tamen, quatenus ex usu proprio expertus

---

\* Essay on Yellow Fever.

sim, minime consentire possum. Quamdiu infomitibus contagium vim retineat incertum est; de Mertins Pestem Massiliensem hoc tantum modo impertiri putavit. De spatio per quod transmitti possit parum adhuc cognitum est; secundum Russelum vix ultra spatium breve diffundi queat. Intervallum ex contactu ad morbi accessionem ex biduo usque ad triginta quatuor dies variare dicitur; Russelo nunquam post nonum vel decimum diem sese ostendere videbatur.

## PROGNOSIS.

In morbo adeo mutabili ea indicare quae spem vel periculum certum ostenderent sanè haud facile est; dixit Russelus nihil certum praedici posse; pulsus res fallacissima est; plerumque autem signa brevi patescunt quae ferè omnem spem deripiunt, et vertiginem, stuporem, aspectumque sublividum ut res pessimis ominis notavi. Secundum Larreum

febris ac delirium incipienti morbo exitum infelicem celeremque praenuntiunt; alii porrò anxietatem, ardentiaque praecordia, cum alvo citissima, nec facile cohibenda, mala inter symptomata ponunt. Haemorrhagiae provectione morbo, tumores sine suppuratione mollescentes vel livescentes, bilisque vomitus frequens, periculum summum ostendunt. Nonnullis carbunculi mala inter praesagia habentur. Petechiae ut lethi praenuntia penè inter omnes notantur. Secundum Russelum aliosque, feminae gravidae hocce morbo affectae raro mortem evadunt. Rursusque docet F. Luigi de Pavia, post diem morbi nonum vel undecimum aegrum in bona spe esse, plerisque autem arbitratur si nullo signo malo diem 5tum vel 6tum evaserit minimè timendum est.

## DE MORBO PRAECAVENDO.

Quomodo cunque Peste Melitensi res primum se haberet, felices separationis effectus in clara denique luce apparuerunt. Sine munitione verò non secus ac ventilatione parum valet separatio, quae hoc modo haud tantum inutilis sed etiam exitiosa fiat, vim enim contagiosam quodammodo in unum conflare ideoque incendere tendit: nihil quam inclusionem arctam ac penè suffocantem cum separatione idonea confundere communiùs; hinc aér perniciosissimus ac primam contagii scintillam concipere aptus, et hinc effectus secundos plerique ad domorum reclusionem in Peste Londinensi tribuerunt. Ad delendum contagium acidorum vapores plurimum valere dicuntur; inter ea acidum muriaticum et nitricum maximè ad hocce munus usurpantur, haud multùm autem de eorum usu compertum habeo. Praeterea quos

Pestis contagio esse objectos, cavere oportet, ne intemperantiâ, aut inediâ, aut timore, aut venere nimia, valetudinis praesidia consumentur; porrò Russelus cum aliis potum vini modicum laudat, Desgenettes exercitationem crebram, vinique spiritum modo exiguo sumptum, Larreus verò coffeam bibere et ulcera aperta tenere admonuerunt; alii nisi post fricationem oleosam, alii nisi veste cerata induiti haud aegris accedere audent: verum talibus parùm confisus, quippe quia morbo saepissime objectus sim, omnia ac impunitus omisi; contagio medio diu vixit valuitque Diemerbroeckeus, “intrepidus, planè,” nobis dicit, “vivebam, nec pericula, nec mortem, nec aliud quidpiam timens.”

## CURATIO.

Exemplis nuperrimè alio loco \* fusius prolati, quaeque mihi vidisse et quodammodo tractasse contigit, monemur, quam minimè hoc morbo conamina polleant nostra; hic igitur remedia auctoribus maximè laudata sat annumerasse fuerit.

De sanguinis missione vix cum alio aliis sentit. Sydenhamus détractiones plenās commendat, ab eo verò morbus parùm ex usu cognitus est; contrà venaesectio Diemberoeckeo damnatur, ut ferè ad exitum infelictem viam sternens. Russelus nisi infirmis aut aetate senile vel infantile semel incipienti morbo sanguinem emittere monuit. Dr Whyte in Peste Aegyptiacâ liberrimè sanguinem detraxit, aegroti autem omnes perierunt. Narrat medicus prim. Meliten-

---

\* Sir A. B. Faulkner on the Plague at Malta, Ed. Med. and Surg. Journal, April 1814.

sis \* hocce remedium nonnunquam morbi initio profuisse; ferè in universum autem tunc spem defecisse fertur, atque duobus exemplis ipse sine fructu expertus sum. Apud Aleppum, auctore Russelo, medici omnibus eos advenientibus atque in omni morbi stadio sanguinem detrahunt. Nobis dicit Savaresi in eo spes ejus saepissime delusas esse. Larreus cum opus esset cucurbitulas adhibuit, ait verò missionem sanguinis generalem nisi plenitudine maximâ nunquam esse necessariam. Meadio laudatur venaesectio, de ea dubiè loquitur A. B. Faulkner eques, plerique secundum Howardum orae Mediteranii medici hocce remedium commendant, verò ad summum valde anceps est.

Emetica ferè omnibus periculosa habentur, quippe quae capiti sanguinis impetum, maximè hoc morbo cavendum, augeant; aliquando verò apud Melitam adhibita sunt, sed nullo, ut accepi, fructu. Russelus sub morbi

---

\* M'Lean's Researches in the Levant.

initium aquam tepidam usque ad vomendum bibere commonuit; et antimonii tartras Lareo prodesse dicitur; meo verò animo semper aliena sunt.

Cathartica imprimis indicantur, atque ad capitis dolorem allevandum remedia ferè sola mihi visa sunt. Laxantia et sales mediū apud Melitam, neque parvo fructu, in usu communi erant. Vanus alvi fluxum ciendi timor Russelum ab iis deterruit, aliquando verò sales et rheum, haustu ex opio paulò post sumpto, commendare audet.

Diaphoretica saepe exhibui et exhiberi vidi, nullo sed fructu manifesto; atque Russeli opinioni prorsus assentior, sudorem arte elictum raro Peste prodesse. Apud Melitam aq. ammon. acet., theriaca, et similia (cinchonā camphorā ac acidis postea adhibitis) inter communia erant. Russelo diaphoretica et cardiaca inter remedia efficacissima habentur. Sudor circa diem 2m, 3m, vel 5m, sponte profusus optimam spem praebet, atque saepissimè morbum solvit.

Vesicatoria frustrà expertus sum ; apud Melitam nisi glandularum tumoribus parùm in usu erant. Russelo utilia esse in comata dicuntur.

Hydrargyrus Peste Melitensi paucis exemplis prodesse dicitur ; morbi autem cursus celerrimus, saepe haud extra diem 5 tum productus, potius ejus usui adversabatur. Verum in Aegypto J. M'Grigor equite, fructu optimo adhibuisse videtur. Calomelane incipere solebat, atque hydrargyrum usque ad salivationem exitu saepe felici tentavit. Doctori M'Lean in calomelane cum opio ac tonicis pro certis in Peste remediis prorsùs fidere lubuit ; hoc vero minime usu comprobatum est. Affusio frigida saepissime juvat. Narrat Desgenettes nonnullos Peste laborantes aëri frigido atque humido subito objectos omnino sanos fecisse. Tonica provectioni morbo plerisque utilia habentur. Doctore M'Lean nunquam non tempestiva putantur ; contra J. M'Grigor eques stimulantia ferè omnia nocere asseruit. Cardiaca anxietatem moles-

tam submovent; acida plurima aquâ diluta pro potu ordinario in Peste ferè ubique gentium usurpantur.

Bubones plerumque, ut auctor est Russelus, ad salutem ullo sine remedio procedunt, cataplasmatis prout res poscit ad maturationem perducendi et postea siccandi sunt. Larreus nondum maturos scalpello aperuit. De carbunculis ferè eadem notanda, ut facilis nimirum puri exitus detur. Dixit Russelus ut penè sine auxilio sanandi sint.

---

*Excudebat C. STEWART.*